



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitate, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

iiij. Difficultas secunda, eiusque solutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

Lezana verb. Immunitas Ecclesiarum, num. 11. Sperellus decis. 22. num. 8. Peregrin. de immunitat. cap. 6. num. 23. & 44. Locatellius in Breuiar. de torura, inspect. 5. num. 159. Antonius de Marinis in quotidian. res. sol. cap. 170. num. 10. Ciarlinius in controuers. forens. cap. 4. num. 34. Bonacina tom. 2. disput. 3. quest. 7. punct. 3. num. 1. & Nouarius in Summa Bullar. tit. de immunitat. Eccles. num. 3. & 55. Quod præsertim verum est ex vi Constitutionis Gregorij XIV. quæ vt dicebamus, corrigi ius commune, & prouinciale, Doctorem interpretationes, & à paritate rationis ampliaciones, consuetudines, & priuilegia in contrarium, & omnia ad vnam formam redigit. Vide supra dubit. 7. & 8.

SECTION II.

Difficultas prima, eiusque solutio?

SUMMARIUM.

- 1 Immunitas ex authent. de mandat. Princip. concedenda non est Homicidis, Adulteris, & Virginum Rap. oribus.
- 2 Authentica prædicta Iure canonico correctæ est.
- 3 Si liber quantumcumque grauius maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus: & paulo post, nisi publicus latro fuerit, vel depopulator agrorum.
- 4 Virginum Raptores in sententia Clari priuantur immunitate, quia tale crimen est enorme. Sed ratio non conuincit.
- 5 In materia immunitatis potius standum est Iuri Canonico, quam Iuri Ciuili.
- 6 Virginum Raptores, si consuetudine legitime introducti id seruetur, nec gaudent immunitate, in aliquibus locis.
- 7 Consuetudine introductum est aliquibus in locis, quod fures etiam simplices ad Ecclesiam confugientes à seculari Iudice extrahi inde possint, cum hoc crimen propter eius frequentiam Reipublice perniciosum sit.
- 1 Obiicies primò, in Authent. de mandatis Principum, cap. 11. expressè habetur, quod nec homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus, &c. immunitas concedenda sit: ergo.
- 2 Respondetur, concedo antecedens: at nego consequentiam, quia talis Authentica iure Canonico correctæ est, vt constat cap. de raptoribus, 36. quest. 1. & ex citat. cap. inter alia, de immunitate Ecclesie, vbi dicitur: Si liber quantumcumque grauius maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus. Et paulo post: Et hoc verum est, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, &c. quæ exceptio firmat regulam in contrarium, vt supra dicebamus, & docent Abbas citat. cap. inter, num. 14. Angel. verb. Immunitas, §. 17. Sylu. 3. quest. 2. Suarez cit. cap. 11. num. 11. Ioan. Faber Institut. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris, §. sed & hoc tempore (vbi dicit esse communem) & Clarum §. fin. quest. 3. num. 10. quamvis de Virginum raptoribus contrarium sentiat ibid. num. 8. ex eo, quod tale crimen enorme sit: quæ ratio non conuincit, quia apertè obstat iuris Canonici Constitutio in cit. cap. inter alia, cui in hac materia potius standum est, quam iuri Ciuili, sicuti supra dubit. 5. ex communi dicebamus, & fateatur etiam ipse Couar. n. m. 3. Quapropter id defendi non potest, nisi forsan consuetudine alicubi scientibus, & tacite consentientibus Ecclesie Prælati, introductum sit, sicuti consuetudine introductum est (ait idem Couar. num. 13. in fin. & Martha de

iurisd. part. 2. cap. 51. num. 13.) quod fures, etiam simplices, ad Ecclesiam confugientes, à seculari Iudice extrahi inde possint, cum hoc crimen propter eius frequentiam, Reipublice valde perniciosum existat, quamvis fateantur, quod in Gallia gaudeant immunitate, sicuti & gaudent in regno Neapolis, & aliis multis locis. Vide quæ dicentur infra sect. 5. & seqq. & quæ dicebantur supra dub. 25.

SECTION III.

Difficultas secunda, eiusque solutio.

SUMMARIUM.

- 1 Videntur nonnulla criminales ex identitate rationis gaudere non debere immunitate, vt raptus, adulterij, sodomia, incendi, sacrilegij, & similia tendentium in præiudicium Reipublice.
- 2 Lex pœnalis extendi potest ad alios similes casus, præsertim quando in dispositione legis ratio scripta est, quia tunc non dicitur extendi, sed comprehendere sub expresso.
- 3 Ne immunitas in Dei iniuriam cedat dicendum est, quod in supradictis causis criminalibus ex identitate, vel maiori rationis locum non habeant.
- 4 Quod Lex pœnalis extendi possit ad casus similes & maiores ex identitate, vel maiori rationis, non procedit quando agitur de præiudicio causæ fauorabilis.
- 5 Item si liceret extensio ultra casus exceptos, nihil stabile, & firmum constitueretur.
- 6 Confessarius sollicitans in confessione Puerum ante Bullam Gregorij XV. non erat denunciandus, quia præcedentes aliorum Pontificum Bullæ erant contra sollicitantem feminas.
- 7 Clericus abutens femina, vel committens bestialitatem non incurrit pœnam Bullæ Pij V. lata contra Clericos sodomiam exercentes, cum talis actus non sit propriè sodomiticus.
- 8 Clericus sodomiam patiens probabiliter non incurrit dictas pœnas latas à Pio V. quia non est propriè sodomita, sed mollis.
- 9 Molles dupliciter dicuntur, vel quia patientes sunt cum aliis, vel quia peragunt in se pollutionem voluntariam.
- 10 Grauius est peccatum Agentis quam Patientis, & in foro exteriori maior pœna imponitur agenti, quam patienti.
- 11 Reservatio casus sodomia in sententia Graff. extenditur tantum ad agentem, & non ad patientem.
- 12 In re latius quidquid disponitur de vno, dispositum censetur de altero.
- 13 Femina secularis nubens Religioso professio non incurrit excommunicationem latam contra Moniales professas nubescentes cuiusque, & contra docentes illas in uxores, & contra professos matrimonium inuentas.
- 14 Cogens mares Religionem ingredi non incurrit excommunicationem Tridentini contra cogentem feminas monasteria ingredi.
- 15 Religiosus ministrans Baptismum, & pœnitentiam sine licentia Parochi non incurrit pœnas Clementinae primæ de priuilegiis.
- 16 Pœna Religiosi fraudantis decimas Ecclesie non extenditur ad Clericum secularem.
- 17 Excommunicatio contra ingredientem Monasteria monialium prætextu licentiarum non extenditur ad ingredientem sine prætextu illarum.

18 Pœna

- 18 *Pœna lata contra delegatum Papa non extenditur contra delegatum Ordinarij.*
- 19 *Lex imponens pœnam priuationis vocis non extenditur ad priuationem vocis passiuam, præsertim cum vox passiuam non sit propriè vox.*
- 20 *Prohibitio cominendi, nutriendi Iudeos, & que famulantium non extenditur ad idem exercentes cum Saracenis, & Paganis.*
- 21 *Pœna lata contra deferentem arma, & instrumenta bellica ad Hostes nominis Christiani, non extenditur ad deferentem illa ad Hæreticos.*
- 22 *Idem in casu, de quo agitur, non dari extensionem ex identitate vel maiori rationis, docent multi Auctores.*
- 23 *Ecclesia nemini dat occasionem delinquendi concedendo immunitatem ex misericordia, sed delinquentes eam per se accipiunt.*
- 24 *S. Ioannes Chrysostomus defensor immunitatis contra Honorium, & Arcadium Imperatores, qui Euiropium ab Ecclesia extrahere volebant.*

Obiicies secundò excipi saltem, præter causas supradictas in præcedentibus dubitationibus, aliquas alias causas criminales, ex identitate, vel maiori rationis, vt raptus, adulterij, sodomie, incendiij, sacrilegij, & similibus, quæ tendunt in præiudicium Reipublice: ergo, &c. Antecedens probatur, quia (vt probat Decian. tract. crimin. lib. 6. c. 28. num. 20.) lex, etiam pœnalis, extendi potest ad alios similes casus, præsertim quando in dispositione legis ratio scripta est; quia tunc non dicitur lex pœnalis extendi, sed comprehendi, seu intelligi sub expresso, *l. nominis, & rei, ff. de verbor. significat.* Neque illa est extensio, sed intellectio legis, & declaratio illius, vt tradunt Baldus in *l. quancis, circa princip. Cod. de fideicommiss.* Calderin. *consil. 1. tit. vt lite pendente, & consil. 1. tit. de Regularibus.* Oldrad. *consil. 185. in fin. & complures alij, quos referam infra dubit. 37. num. 3. & seqq.*

Confirmatur, quia alioquin daretur improbis occasio liberius viuendi, & grauius crimina perpetrandi: quapropter ne Ecclesie immunitas (quæ in honorem Dei introducta est) in eius iniuriam cedat, dicendum est, quod in supradictis causis criminalibus ex identitate, vel maiori rationis locum non habent.

Respondetur, nego antecedens: & ad probationem eius respondeo, quod (quidquid dicendum sit in aliis casibus) in casu nostro non est facienda extensio ex identitate, vel maiori rationis; quia in cap. *inter alia, de immunitate* dicitur, quod Reus non extrahatur ab Ecclesia, quantumcunque grauius delicta perpetraverit, nisi in casibus ibi expressis. Vnde Abbas ibi, num. 17. ait, decisionem illius capituli extendendam non esse ad alios casus: quod etiam docent Gomez tom. 3. *variar. cap. 10. num. 2.* Bosius *tit. de capta, num. 23.* & alij complures Doctores, vt supra dicebam; tum quia extensio in casu nostro præiudicaret causæ fauorabili immunitatis Ecclesiasticæ.

At licet ex identitate, vel maiori rationis Constitutio pœnalis extendi possit ad casus similes, vel maiores, id tamen (vt ex Alexandro, & Romano rectè docet Farinacius in *append. de immunitat. cap. 21. num. 355.* & nos dicemus *infra citat. dubit. 37.*) non procedit, quando agitur de præiudicio causæ fauorabilis, prout est in casu nostro immunitas Ecclesiastica. Tum quia si ultra casus exceptos liceret alios ob identitatem, vel maiori rationis excipere, per regulam assignatam in cap. *inter alia*, & in Constitutione Gregorij XIV. omnia reducens ad vnicam formam, nihil firmiter, & stabile constitueretur. Vide quæ dicebantur *supra dubit. 7. & 8.*

Th. Delbene de Immunit. Eccl. Pars II.

Adde, quod (vt tradunt Gl. in cap. in pœnis, de regul. iuris in 6. c. pœnis, de pœnitent. dist. 1. & l. interpretatorem, ff. de pœnis, Ioan. Andreas in reg. odia, de regulis iuris, Caetan. 2. 2. *quest. 7. art. 4. ad 2.* Ledesma in 2. 2. *quest. 3. art. 4.* Suarez *disp. 4. sect. 7.* Larrea *decis. Granatensis, tom. 2. decis. 78. num. 16. & decis. 95. num. 7.* Salas *de legib. tract. 1. 4. disp. 21. sect. 13. num. 29. in fin.* Villagut. in tract. *de extensione legum*, Rubr. *de extens. legis pœnalis respectu mœris pœnis, per totam*, Sanchez *de matrim. lib. 10. disp. 4. num. 3.* Henriquez *lib. 7. cap. 30. num. 4.* & in gl. *lit. C.* Castus *de leg. lib. 6. cap. 3. num. 5. & cap. 4. num. 2.* Portell. in addit. *ad dubia Regul. verb. Lex, numero 13.* Ioan. Valerius *verb. Lex, differ. 5. num. 2.* Bonnac. *de legib. disput. 1. quest. 1. punct. 8. num. 23.* Cutellus *de immunit. Eccles. lib. 1. quest. 41. num. 11.* Maccarat. *resol. 34. num. 11. & 32. lib. 3.* Girona *de priuileg. num. 563.* Barbosa *verb. Pœna, num. 7. & 9.* Gutierrez *can. 99. lib. 1. cap. 4. num. 30. & seqq. & Diana 1. part. tract. 10. resol. 26.* & clarè habetur ex Authent. *de non eligend. 2. nubentes, §. in autem, ex l. fœdum cuiusque, §. in pœnalibus, ff. de regul. iuris, & ex cap. in pœnis, de regulis iuris in 6. lex pœnalis, & eius pœnis, utpote odiosæ, locum non habent, nisi in casibus expressis, ita vt non possit fieri extensio ex vno ad aliud, nec de casu ad casum, nec de persona ad personam, etiam ex identitate rationis. Vnde verbi gratia Confessarius sollicitans in confessione puerum ante Bullam Gregorij XV. non erat denunciandus, quia præcedentes aliorum Pontificum Bullæ erant contra sollicitantem fœminas. Diana *loco supra cit.**

Item clericus abutens fœmina, vel committens bestialitatem non incurrit pœnas Pij V. latas contra clericos sodomiam exercentes, præsertim cum talis actus non sit propriè actus sodomie. Bañez 2. 2. *dist. 64. art. 4.* Garcia *de benefic. tom. 2. cap. 10. part. 2. §. 2. num. 205.* & Barbosa in *collectan. tom. 2. l. 5. tit. 31. cap. 4. num. 10.* Quas pœnas probabiliter neque incurrit etiam clericus sodomiam patiens, præsertim quia talis non est propriè sodomita, sed mollis, iuxta illud Pauli 1. *ad Cor. 6. Neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores Regnum Dei possidebunt.* Sicuti Gl. ibi, S. Th. 1. 2. *quest. 138. art. 1. ad 1.* exponunt, & Caetan. *verb. Molles, in fin.* vbi ait, quod molles dupliciter dicantur, vel quia patientes sunt cum aliis, vel quia peragunt in se pollutionem voluntariam, tum quia (vt notauit S. Antonin. *part. 3. tit. 17. cap. 17. §. 4.*) grauius est peccatum agentis, quàm patientis: quapropter in foro exteriori maior pœna imponitur agenti, quàm patienti: & Graff. in *pract. cas. resol. lib. 1. cap. 11. num. 7. & 26.* docet, quod reservatio casus sodomie extendatur tantum ad agentem, & non ad patientem. Quamvis contrarium ex communi sententia Doctorum (vt fatear) sentiant Riccius in *prax. tom. 3. resol. 57. num. 7.* Flotonus *de casib. reserv. part. 2. cas. 7. §. 1. num. 6.* Coriolan. *part. 2. cas. 9. §. 1. num. 30.* Bonnac. *de matrim. quest. 4. punct. 11.* & Finellius *de casib. reserv. cas. 9.* ex eo, quod simus in reatiuis, in quibus quidquid disponitur in vno, dispositum censetur in altero.

Item fœmina sæcularis nubens Religioso professio non incurrit excommunicationem in Clement. *unic. de consanguin. & affin.* latam contra moniales professas nubentes enicumque, & contra ducentes illas in vxores, & contra professos matrimonium ineuntes. Caetan. *verb. Excommunicatio, cap. 74.* S. Antonin. *part. 3. tit. 24. cap. 34.* & Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 48. num. 2.*

Item cogens mares Religionem ingredi, non incurrit excommunicationem. Tridentin. *sess. 25. de Regularibus, cap. 8. contra cogentem fœminas monasteria ingredi.* Sanchez *lib. 4. moral. cap. 4. num. 3.* cum Bañez, & Suarez.

Item Religiosus ministrans Baptismum, & pœnitentiam

tentiam sine licentia Parochi, non incurrit penas *Clement. 1. de privilegiis*, latus contra Religiosum ministrantem Matrimonium, Eucharistiam, vel Extremam-Vinctionem, Gl. & Abb. in cit. *Clement. 1. & Tolo. decis. 121.*

Item Constitutio, qua punitur Religiosus fraudans decimas Ecclesiæ, non extenditur ad clericum sæcularem idem facientem, Gl. in *Clem. 1. de decimis.*

Item Excommunicatio Gregorij XIII. contra ingredientem Monasteria Monialium prætextu licentiarum, non extenditur ad ingredientem sine prætextu illarum. Suarez de cens. disp. 22. sect. 9. num. 11.

18 Item pœna in cap. statuum, § insuper, de rescriptis, lata contra Delegatum Papæ, non extenditur ad Delegatum Ordinarij. Gl. in cit. cap. vers. Moderatas, in fin.

19 Item lex imponens pœnam priuationis vocis, non extenditur ad priuationem vocis passiuæ; præsertim cum vox passiuæ non sit propriè vox. Garf. de benefic. part. 3. cap. 4. num. 15. & Castr. Palaus, tomo 2. tractat. 13. disp. 6. punct. 6. num. 15. quamvis contrarium probabiliter sentiant Less. lib. 2. c. 34. dubit. 29. num. 105.

20 Item cap. ad hac, de Indeis, in quo prohibetur Christianis famulari, conuiuari, nutrire Iudæos, &c. non extenditur, si id exerceant cum Saracenis, & Paganis, præsertim cum Iudæi sint acerbiores in Christum; & leges, quando volunt Saracenos, & Paganos amplecti, id expriment. Hurtad. in 2. 2. disp. 76. sect. 3. num. 81. cum Sanchez. Quamvis contrarium sentiat Suarez de fide, disp. 18. sect. 6. num. 10.

21 Item pœna lata contra deferentem arma, & instrumenta bellica ad hostes nominis Christiani, non extenditur ad deferentem illa ad hæreticos; præsertim cum hi non odio habeant, sed glorientur nomine Christi. Mendoza in 2. 2. disp. 76. sect. 3. § 83. Quamvis contrarium sentiat Lorca in 2. 2. disp. 84. sect. 7. § 125. & sic de aliis, &c.

22 Quapropter in præsentī casu nostro, quod non detur extensio ex identitate, vel maioriāte rationis, docent Gutier. pract. qq. lib. 3. cap. 4. num. 12. & 17. Franc. Leo in Thesaur. fori Ecclesiæ, cap. 13. rubr. de immunit. Eccles. num. 27. & seqq. Anast. Germon. de sacror. immunit. lib. 3. cap. 13. num. 56. Ambrosin. de immunit. Eccles. cap. 1. n. 13. & seqq. Farinac. in append. de immunitat. cap. ult. num. 353. Genuen. in prax. c. 22. n. 8. Suarez lib. 1. cap. 11. n. 15. & 17. & alij Doctores innumeri supra citati contra Decianum loco supra cit. Sarpum de iure Asylorum, c. 5. fol. 51. Cutellium in leg. Marini Regis, cap. 17. num. 5. & de immunit. Eccles. lib. 1. quæst. 2. & 21. & 32. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 9. num. 2. & seqq. & alios infra citandos.

23 Ad confirmationem respondetur ex dictis, quod id sit totum per accidens, & non sit occasio data, sed accepta. Quod inde etiam probatur, quia alioquin in nullo delicto locum habere deberet immunitas Ecclesiæ, quod dicendum non est, præsertim, quia apud Gentes (vbi testatur Tacitus lib. 3. Annalium) capitalium criminum Rei in Asylo tuti erant. Et ad statum Beli (vt notat S. Antoninus lib. 1. histor. titul. 1. c. 3. § 7.) Rei quorumcunque criminum impunitatem inueniebant. Vide Gutierrez pract. qq. lib. 3. quæst. 3. num. 9. vbi satis ad rem adducit auctoritatem S. Chrysostomi defendentis Eutropium sæuissimum tyrannum, deprædatorem, & Christianorum persecutorem, qui ob manifestas eius rapinas ab Honorio, & Arcadio Imperatoribus ad mortem damnatus, ad Ecclesiam confugerat, & ne ab Ecclesia extraheretur, acriter contendit. Vide etiam quæ dicebantur supra dubit. 9. sect. 15.

24 16. & 17.

SECTIO IV.

Difficultas tertia, eiusque solutio?

SVMMARIVM.

- 1 Nauarrus qui scripsit Romæ solam pro delictis leuioribus Reos gaudere immunitate arguitur, & excusatur simul a Farinacio.
- 2 Stylus, qui seruatur in Vrbe circa immunitatem, dato, quod solam leuibus delictis Rei ea non priuentur, non potest amplecti à Principibus laicis, & cur.

Omnibus tertiò cum Sargo, in Vrbe solum pro delictis leuioribus Reos gaudere immunitate Ecclesiæ, sicuti testantur Nauarrus, & Farinacius: ergo.

Respondetur, nego antecedens, quapropter Farinacius in append. de immunitat. cap. 2. num. 17. vbi se retractat, & sic inuehitur contra Nauarrum: Et in Vrbe, quod Ecclesiastica immunitas non habeat locum aduersus Indices sæculares Pontificis, testatus fuit Nauarrus in Man. cap. 25. num. 16. Quod idem testatus fui & ego in quæst. 26. num. 24. quam testificationem typis mandauī, fidem Nauarrus secutus, & longè prius, quam Officialis in Vrbe fuisset, sed postquam Locumtenentis criminalis Sanctissimi D. N. & successiue Procuratoris Fiscalis generalis officiis functus fui, hanc corruptellam in Vrbe non vigere comperi, quia Reos ad Ecclesiam propter graviora delicta confugientes, officiales non extrahunt, nisi de licentia Pontificis: & ita ego sapius expertus sum, & praticauī. Nec mirum est, quod Nauarrus in hoc hallucinatus fuerit, quia huiusmodi licentia per Summum Pontificem oretenus Officialibus conceduntur. Sic ille.

Vnde corruit, quod ibidem subdit Sarpus, scilicet quod sicut ratione boni regiminis Pontifex in Vrbe non obseruat iura circa immunitatem Ecclesiæ, sic etiam concedere Principibus laicis dicendus sit.

Adde, quod, dato, & non concesso, quod Pontifex in Vrbe dictam immunitatem obseruet solum quoad delicta leuiora, & non quoad alia, non tamen hinc sequitur, quod idem efficere possint Princeps laici, quia speciali ratione id Pontifex potest, propter præsentiam ipsius, qui legem tulit, qui propterea secundum contingentiam, & diuersitatem casuum potest oretenus prouidere, & sic concedere, vel non concedere immunitatem, iuxta leg. præsent. C. de his, qui ad Eccles. confug. vbi Imperator, facta generali prohibitione, quod nullus ex Ecclesia extrahi possit, declarat, hanc prohibitionem (quamvis defectu iurisdictionis nulla fuerit,) vbique seruandam, præterquam Constantinopoli, vbi ipse regebat.

SECTIO V.

Difficultas quarta, eiusque solutio.

SVMMARIVM.

- 1 Concilium Tridentinum de facto sustulit omnes consuetudines immunitatis Ecclesiastica derogantes.
- 2 In Bulla confirmationis Concilij adest clausula Decreti irritantis, quæ omnem consuetudinem præteritam, & futuram sustulit.
- 3 Item clausula (sublata) in constitutione Gregoriana adimit facultatem aliter interpretandi, quam ibi sit expressum.

4. Contra